



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118537

§. 39. Alia ejusdem Papæ diplomata ad varios principes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)

loci Oppedæ Cavallicensis Diœcesis in Ave-
 nionensi Comitatu, vassallum nostrum in car-
 ceribus jam diu detineri, & coram cæteris
 officialibus tui Regni molestari: Nos atten-
 dentes, quod Paulus Prædecessor, & Fran-
 ciscus Rex, hæc tanquam ad honorem Dei,
 & pro conservatione suæ fidei Catholi-
 cæ fieri permisissent, Majestatem tuam
 Regiam his nostris literis rogamus, &
 hortamur, ut intuitu ejusdem Religionis,
 & ne, si quæ adhuc in nostris partibus su-
 persint, Hæreticorum reliquæ ex molestiis
 eidem Joanni illatis sibi gloriam comparent,
 Officialibus tuis prædictis mandes, ne eun-
 dem Joannem occasione expeditionis loci de
 Capreris hujusmodi, & quorumcunque in
 illa gestorum in persona, vel bonis quomo-
 dolibet molestare præsumant, quinimo eum
 statim liberum dimittant; rem enim nobis,
 qui hoc summopere cupimus, gratissimam
 præstabis: plura super hoc referet noster a-
 pud te Nuntius, cui plenam fidem adhibere
 poteris. Nihilominus hoc negotium non-
 nisi anno sequenti exitum fortiebatur.

§. XXXIX.

*Alia ejusdem Papæ Diplomata ad va-
 rios Principes.*

Eodem hoc anno Domini millesimo Rayn. n. 36.
 quingentesimo quinquagesimo idem 39. 43. &c.
 summus Pontifex alia adhuc diploma-

Sæcul. XVI
 A. C. 1550
 ta in Religionis negotiis ad diversos
 transmissit Principes, præcipue vero ad
 Antonium Navarræ Regem, cui re-
 spondit ad literas, quas idem hic
 Rex non ita pridem per Cardinalem
 Turnonium perscripserat. In hisce li-
 teris die secunda Augusti datis Ponti-
 fex eidem gratulabatur, quod in tuen-
 da vera fide adeo præclare sese gessis-
 set. Extat aliud diploma ad Sigismun-
 dum Poloniæ Regem, quem Papa, ne
 hæreticos e Germania abeuntes in Re-
 gnum suum irrepere pateretur, hortat-
 tur, simulque certiore reddit, quod
 Concilium paulo post Tridenti sit con-
 tinuandum, proin & ipse suos quoque
 Episcopos eo ablegaret. Porro cum
 Georgius Pomeraniæ Dux Protestan-
 tium doctrinæ aditum ad suas ditiones
 patefecisset, hinc Pontifex Culmensis E-
 piscopum amplissimis instruxit manda-
 tis, ut censuram fidei in hæreticos ex-
 erceret, redeuntes vero ad officium re-
 conciliaret Ecclesiæ. Dabat hanc epi-
 stolam Pontifex die vigesima quinta Ju-
 lii. Præterea occurrunt aliæ pariter
 literæ ad Poloniæ Episcopos die vigesi-
 ma Decembris perscriptæ, in quibus
 eorum studium excitare nititur, ut sese
 hæreticis opponant, totoque conatu
 pro-

prohibeant, ne eorum errores sese
in hoc Regnum insinuent.

Sæc. XVI.
A.C. 1550.

Interea temporis cum hæresis in plu-
ribus Europæ Regnis indies altiores
ageret radices, veræ fidei lumen sese
ulque ad extremas Asiæ ditiones diffun-
debat: cum vero tam secundus Re-
ligionis progressus præprimis Deo, &
postea potissimum sollicitudini, ac
vigilantiæ Joannis Lusitanæ Regis in
acceptis referendus esset, hinc Ponti-
fex suarum partium esse existimabat, ut
dato ad Regem diplomate die decima
tertia Februarii anni sequentis (*) ei-
dem tam amplam fidei segetem gratu-
laretur in hæc prorumpens verba: *Te
Fili in Christo charissime! inter cæteros
Christianos Reges impense diligimus, &
maximi facimus, non solum ob inclytam er-
ga Deum pietatem, atque erga hanc sanctam
Sedem observantiam, cæterasque virtutes
tuas, quibus splendorem Regii culminis ex-
ornas, sed etiam quod tuo, tuorumque
Progenitorum beneficio, & navigationibus,
ipse orbis terrarum antea ignotus, magna
ex parte nunc cognitus, & quod plus est,
Deo, ac vobis per agnitionem Christianæ
veritatis acquisitus sit.*

§. XL.

(*) Data est hæc epistola hoc anno Domi-
ni millesimo quingentesimo quinquagesimo,
quapropter corrigendus est Continuator.